

291

289

295

285

300

280

340

240

390

190

Ende

Anfang

276

cisternas in eo vidimus, quas fratres, dum emissent hortum, et foderunt, repererunt terra et lapidibus repletas, quas mundaverunt, et canalia aptantes tempore pluviali optimas aquas in eis colligunt: nec enim sufficit eis aqua illius cisternae, quae est ante refectorium, de qua supra fol. 97. A. mentionem feci, per aecstatem, quae me ibi existente defecerat. Unde valde necessariae sunt eis cisternae horti illius. Nam ante eius emptionem patiebantur in annis aridis et siccis magnam aquarum penuriam, sed horto habito pati non possunt defecatum aquarum, quod magnum reputatur in Jerusalem. In hoc insuper horto diversa genera arborum plantas habent, ficorum et malagranatorum etc. et olera pro conventus sustentatione. Est autem hortus ille quadratus, in cornu montis Syon positus, et ibi ab occidente habet Conventum et ecclesiam et jugum montis Syon sibi aequale: per alias tres partes habet valles, et est maceria cinctus. Nam ab austro habet vallem Acheldemach cum monte Gyon: ab oriente habet vallem Syloë cum monte Offensionis, et consequenter vallem Josaphat cum monte Oliveti, ab aquilone habet Mello cum civitate sancta. Transivimus ergo per circuitum, et per maceriam deorsum in valles respeximus, et ad oppositos montes; et est respectus valde delectabilis scienti scripturas. Ipsa autem maceria cingens hortum petris abruptis est supraposita, et ibi videtur adhuc antiquissimus murus Syon et turrium fundamenta, et multa patent ibi ad oculum, de quibus in Scriptura sacra mentio fit, quae legens difficulter intelligit, ut de Mello, de Gyon, de vallibus, et caetera. Porro sic nobis stantibus et de alto speculantibus emersit inter peregrinos milites sacculares confabulatio, quam oportet hic recitare. Super maceriam pro-cubuimus, et contra civitatem Jerusalem et vallem Josaphat respeximus (**107A**). Saeculares autem illi cunctis objectis, quae prae oculis habebamus, omissis, visum super templum, quod dicitur Salomonis, reflectebant; et de illo admirabantur et eum intrare et videre optabant, et multa disputabant inter se, quomodo hoc templum a tempore Salomonis usque nunc duraverit, et talia loquentes ego attendebam. Cumque longum inutilem sermonem protraherent, dixi eis: mi Domini et fratres peregrini, quae est causa, quod tam sancta et praecolla

